



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

15. Cognition & amor D. N. Jesu Christi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



Aug. l. c. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius. Psal. 12.*

III. O Vita, sine qua morior! O veritas, sine qua fallor! O via, sine qua devio! O salus, sine qua pereco! O lumen, sine quo in tenebris ambulo! In te solo vivo, sine te morior: in te aliquid sum, extra te nihil. *Granatensis.* Tibi firmiter adhæreo, tibi intimè jungi aveo, te toto cordis mei sinu complector.

## P A S S U S XV.

Cognitio & Dilectio Domini nostri JESU Christi.

### T E X T U S.

*Si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, anathema sit. 1. Corinth. 16.*

#### Cognitio.

I. T U mi JESU, es totus amabilis, totus desiderabilis, quia es Filius Dei, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ad Coloss. c. 2. unâ cum omnium



prædictorum attributorum perfectionum divinarum collectione. *Tu enim es Christus Filius Dei vivi. Matth. c. 16.* Deus de Deo, lumen de lumine, consubstantialis Patri, per quem omnia facta sunt.

II. Tu etiam, mi JESU, totus es amabilis, propter sacrosanctam humanitatem tuam. Et quidem primò quoad corpus tuum, virginæ, purissimum, sanctissimum: corpus enim tuum inexplicabili decore, majestate, gloria, & honore coronatum est. Tu es speciosus formâ, præ filiis hominum, & facies tua decora: pulchra sunt membra tua, pulchra sunt verba, opera, mores. Sed longè magis in cœlesti gloria, ubi superemines omnes, & instar Solis inter sidera radias.

III. Tu quoque totus amabilis es, quoad animam: illa enim donis, favoribus, meritis, & perfectionibus, omnes angelos & homines longissimè superat. Nam *non ad mensuram dat Deus spiritum: Pater enim diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus. Joan. c. 5. 34.* In Te enim est immensa puritas ab omni peccato, gratia sanctitatis, es enim Sanctus sanctorum: gratia consummata, seu beatitudo & visio beatifica: ingentes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: potestas mortuos suscitandi, aliâque miracula parandi: ac denique gratia capitis, tam militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ.



## Dilectio.

Amantissime, dulcissime, pulcherrime, desideratissime animarum nostrarum Sponse, JESU Christe, quis Te non diligat? Tu es candidus & rubicundus, electus ex millibus: gratulor tibi de incomprehensibili omnium bonorum & donorum tuorum thesauro, de cujus plenitudine omnes accipiunt; fac me, obsecro, illius participem, ut Te amplius cognoscam, & perfectius diligam.

Domine JESU, *Gaudium meum, attrahere cor meum! Dulcis cibus, comedam te! Caput meum, dirige me! Melos meum, tempera me! Odor meus, vivifica me! Verbum Dei, recrea me! Laus mea, latifica animam servi tui: intra in eam, gaudium meum, ut in Te gaudeat: lumen aeternum, illustra super eam, ut Te intelligat, cognoscat & diligat.* S. Aug. solil. c. 1.

*O via, veritas, & vita! Via, sine qua error; veritas, sine qua vanitas; vita, sine qua mors, dic verbum Domine, fiat lux, & videam lucem, & vitem tenebras; videam viam, & vitem invium; videam veritatem, & vitem vanitatem; videam vitam, & vitem mortem.* S. Aug. solil. c. 4.

## Aspirationes.

I. Gaudeat mundus in rebus caducis

K 6

&amp;



& fluxis : Ego autem gaudebo in Domino,  
& exultabo in Deo IESU meo. Habac. c. 3. 18.

II. Ostende Te mihi Consolator meus ! Vi-  
deam Te Redemptor meus ! Diligam te vita  
anima mea. S. Aug. solil. c. 1.

III. Esse sine JESU gravis est infernus:  
esse cum JESU dulcis paradisus. Thom.  
Kemp. L. 2. c. 8.

## P A S S U S XVI.

Cognitio & dilectio Incarna-  
tionis, doctrinæ & exem-  
pli Christi.

### T E X T U S.

*Sic Deus dilexit mundum, ut  
Filium suum unigenitum da-  
ret. Joan. c. 3.*

#### Cognitio.

I. **R**edemptor amabilis: tanta in Te arsit  
flamma charitatis. ut propter nos ho-  
mines, & propter nostram salutem, de cælo  
descenderis, formam servi susceperis, & in  
similitudinem hominum factus sis, parvulus  
na-